



DE CLARISSIMO

MO ET DOCTISSIMO VIRO

D. IOHANNE SCHOSSERO, POETA LAUREATO, in Incluta Academia Francophordiana ad Oderam
Professore, cum Honestissima & ingenua Matrona
Margaride Nuptias celebrante,
die 18 Nouemb:

LACTANTII

IOHAN: CODICII ELEGIA.

SVO SCHOSSERO,

Schoffere vates culte, Vir clarissime, +
Amice delectabilis:
Fratris loco quem ueneror, & fidus colam;
Dum me vocet Proserpina;
Tibi leues Elegos tuis de nuptijs
Fauore mitto sedulo.
Si post vacabit à grauiſſimo iugo,
Modò quo premor, te plenius
Tuamq; sponſam noſtra tollent carmina,
Nunc viue felix & vale.
Et corda Codicij puta tibi dari
In hoc rudi Poëmate.



BVDISSINAE.
PER IOHANNEM
VVOLRAB ANNO
M. D. LX.



Optimo viro D. Iohanni Codicio
Sibüenavienſium Scribae, patri
C. C. C.



IN NVPTIAS CLARIS-
SIMI POETAE, D. IOHANNIS
SCHOSSERI, &c. ELEGIA

LACTANTI
IOHANNIS CODICII.

Alternis vicibus rerum conuertitur ordo,
Iam bona messis adest, iam fera sauit hyems.
Non semper tegitur glomeratis nubibus æther,
Lux sequitur noctem, nox sequiturq; diem.
Sic neq; fortunæ tenor unus in orbe uidetur,
Sustinet & matris sæpè nouerca fidem.
En ego lugubri compulsus lege uiator,
Lustraui uarijs disita regna plagis.
Iam uelut in portu, superatis naufragus undis,
Immoror ad liquidi Vandala rura Spreæ:
Quà Leisentritij teneor penetralibus hospes,
Quem uehit ad summum gloria uera polum.
Ne penitus tristis me sollicitudo fatiget,
Mitigat ærumnas Parca serena meas.
Nuper .n. dubijs ubi casibus actus inhaesi,
Cresceret & curis addita cura mihi:
Litera Schosseri uenit exoptata Poëta,
Litera, sincero digna fauore legi.
Quàm benè solatur ueterem Schosserus amicum,
Seruat & incolumi corda priora fide.
Hoc tamen in primis fuit oblectabile, narrat
Quòd de coniugio prospera fata suo.
Quando dies aderit pluuij bis nona Nouembris,
Lætus adoptata coniuge sponsus erit.
In thalamum ducet præclaram laude maritam:
Sit benè Schossero tempus in omne meo.

Grata

Grata lætitia tam nuncia fausta recepi,
 Plurimus & nostro plausus in ore fuit.
 Abieci gemitus, abieci mente dolores,
 Nunc ego non ulla clade dolere queo.
 Cum benè Schofferum Deus & fortuna tuentur,
 Salua quidem uitæ pars manet una meæ.
 Me quoq; fraterno perspectus amore rogauit,
 Ad sua ne segnis festa uenire morer.
 O utinam celeres aptet mihi Dædalus alas,
 Aut, ut Triptolemus, carpere dicar iter.
 Athlantisq; Nepos nostris talaria plantis
 Induat, æriam calce mouente uiam:
 Protinus ad Viadri clarum iuuat ire Lyccum,
 Vt sacra Schofferi conspicer ora mei.
 Quid precor? & uanis cur impleo uocibus auras?
 Dummodò sic liceat, uel pedes ire uelim.
 Sors uetat: illa meis obstat durissima uotis,
 Impedit & medio uela regenda mari.
 Vera tamen fido testabor gaudia sensu,
 Quaq; licet, letum mente uidebo diem.
 Sicut in Euxinis Pelignus finibus exul
 Tristitiæ posuit signa sinistra suæ,
 Cepit ut à charis, quos Roma fouebat, amicis
 Nuncia, quæ certæ plena salutis erant.
 Ac licet haud animum præsens ostendere posset,
 Gratia transmissio carmine maior erat:
 Sic ego cum cogar uaria ratione morari,
 Desit ut ad licitas copia iusta preces,
 Ne pius eximio cesssem parere Poëtæ,
 Musa ueni, blando carmine plectra regas.
 Marchiacam subitis Dea cursibus ibis in urbem,
 Nunc ubi Schofferus gaudia sponsus aget.
 Crede mihi, docto uenies gratissima Vati,
 Scis, non ingenij dexteritate latet.

Seruat adhuc nostri constantem firmus amorem,
Grata tuo uenies nomine, grata meo.
Candida schoffero debentur Carmina Vati,
Omnibus Aonium prætulit ille chorum.
I precor, atq; uiro referas deuota salutem,
Seq; diu læter sospite, uota canas.
Inuenies illum præcinctum tempora lauro,
Connubij puro pectore iura sequi.
Inuenies illum multa uirtute colendum,
Tantus honor clari, gloria tanta uiri.
Fulgebit Tyrio Vates spectandus in ostro,
Hic tua quod mirè lumina pascat, erit.
Aut igitur templum, turba comitante, subibit,
Pangat ut illæso fœdera digna thoro.
Aut ubi firmarit sponsum sponsamq; Sacerdos,
Tendet ad instructis fercula lauta cibis.
Aut alacri ducet sinuosas fronte choreas,
Hacq; die populus quem colat, unus erit.
Aspergent Charites casiam, roremq; marinum,
Stipabuntq; pij Vatis ubiq; latus.
Quicquid aget, placidis ipsi te gressibus offer,
Aduentu poteris grata placere tuo.
Mox tamen illustrem paucis affata Poëtam,
Optima sic coram uerba memento loqui:
Inter honoratos præstans Schoffere Poëtas,
Teutona quos dextro sydere terra tulit:
Salue Pieridum decus, & doctissime cultor,
O Salue patriæ gloria certa tuæ.
Me meus huc dominus mittit, tuus ille sodalis,
Tester ut hoc tecum gaudia plena die.
Exoptatq; tibi, fatis ut chare secundis,
Coniugij stabili pace fruare tui.
Tecum salua diu iucundos exigat annos
Margaris, ornatas inter habenda nurus.

Quam

Quam tibi Guelphorum de sanguine Principis uxor
In thalamum, ueluti pronuba Iuno, dedit.
Quin etiam multa faciat te prole parentem,
Ut generis crescat longa propago tui.
Hoc precor, hoc mecum uero candore precatur,
Cuius ego ueni nomine missa tibi.
Qui praesens equidem uoluit conuiuia uideri,
Horrida sed coeptae restitit aura uiae.
Nec male digna tuis scripsisset carmina tædis,
Obrutus angusta ni modo clade foret.
Adde, quod Austriacas mox est rediturus in oras,
Semper ut hunc dubio fors rotat axe rapax.
Nunc rogat, ut felix maneat in amore beato,
Sic tamen, ut nostri non quoque cesset amor.
Qui monet, ut facias, monitis tua pectora laudat,
Nouit, n. mentem, culte Poëta, tuam.
Quid loquor? aut hortor? celeri pede tempora currunt,
Musa, tibi curae sint mea uota, uale.
Dum moror, & longo necto suspiria questu,
Schosseri tædis imminet apta dies.
Quid faciam? charum Musis ueneratus amicum,
Debueram cytharæ sollicitare fides.
Cuius honor lata praeconia laude requiritur:
Ne uacet, in curas area magna patet.
Felicis, hodie qui prona sorte merentur,
Legitimo lepidi Vatis adesse thoro.
Quam bene gratanti studio tunc omnia fient,
Lætior immensas Odera uoluet aquas.
Non chorus hinc aberit Vatum, procerumque potentum,
Splendida Schossero munera quisque feret.
Munera septemuir Ioachimus Marchio mittet,
Quid numerem rutilis aurea pocla Scyphis?
Ipse Sigismundus (tuus o Germania Primas)
Ostendet Vati corda benigna suo.

A 3

Quos

Quos habet optato Schofferus amore patronos,
Cum Thoma ueniens hinc quoque Paulus erit.
Ipse peregrino Legatus in orbe Sabinus,
Schofferi lateri iunctus adesse nequit.
At magis egregio Schofferus nomine claret,
Vate quod a summo laurea ferta gerit.
Stigelius numeris Hymenæia gaudia dicet,
Quo duce fert ingens nympha Salana Decus.
Facundos Elegos culto meus ore Bocerus
Fundet, & hac magnum nomen ab arte feret:
Qui modò Vernouij ripas concentibus implet,
A Musisq; tulit nomina clara suis.
Chesselius Graio præstaret carmine laudem,
Est sed in Ausonia regna profectus humi.
Nec puto Molleri gratantia plectra tacebunt,
Cuius in exculta maximus arte lepor.
Quid loquar Haslobium Phœbea uoce canentem?
Quid memorem Petri Cœlica Regna mei?
Quid? quibus est passim Schofferus amabile lumen,
Ceum quondam Romæ Naso Poëta fuit.
Pergite Germani, dilecti pergite Vates,
Schofferi meruit Musa diserta coli.
Tollite uicturo Schofferi carmine laudes,
Cuius Apollineo numine uena calet.
Ipsius o pompam cantu celebrate iugalem,
Alternisq; sonent iubila recta modis.
Cordia nunc cedat nuptæ, satis abstulit ante,
Schofferiq; sacro carmine nomen habet.
Nunc tam prælustri iunctum sibi sorte Poëtam
Afficiat licitis Margaris ipsa iocis.
Hinc, postquam bibulos laudet Germania Vates,
Ad plenos numeros sumite quisq; merum.
Atq; aliquis, nostri penitus non immemor, ultrò
Dicat: Codicius quid modò noster agit?

At

At tu Pierio Vates celeberrime coetu,
 Concipe delicias, concipe quæso nouas.
 Fausta tuis Musis ostendunt numina portum,
 Ergò uerecundo gratulor ore tibi.
 Sit satis aduersis passim me fluctibus angi,
 Cum benè fit tecum, nil mihi triste puto.
 Ah quàm sepè tibi felicia fata precatus,
 Schofferi uolui cernere tecta mei.
 Nunc pia uota ualent, uiuit Schofferus, & alto
 Stelligeri tangit uertice signa poli.
 Restat, ut ô lætis ad te successibus olim,
 Propitij ducat me pia dextra Dei.
 Tunc ego te pulchra patrem si prole uidebo,
 Que non composita gaudia mente feram?
 Intereà longam feliciter exige uitam:
 Quisq; suum placido pectore portet onus.

F I N I S.

LACTANTIO IOHANNI CODICIO
 SCHLVCAVIENSI, VENVSTISSIMO
 Poëtae ac amico, M. Henricus Ruchterus
 Erphordianus.


EXornant alios suæ Camœnæ,
 Illustras sedenim tuas Camœnas.
Commendat sua plurimos alumnos
 Tellus: tu Patriam celebriorem
 Lactanti, facis eruditione.
 Multos ingenua seueritate
 Præstas, consilio, arte mente, lingua,
 Ac pondus, quod erat tibi, fideli,
 Commissum, exequeris fouesq; cura.
 Sic Phœbo teneris placesq; Musis,
 Moliris Superis opusq; dignum,
 Delectabile et omnibus Poëtis:

Dum

QX Th
9088
X2206328

Dum graues Epigrammatis facietis
Mores concelebras, leuesq; carpis,
Id quod magnificum decet Poëtam,
Quin ornare alios bonos Poëtas
Et ferre his nitidas soles coronas.
Inter quos solito fauore summum
Schofferum colis inclytum & disertum,
Qui semper teneras Deas amauit,
Cui Thuringia præbuitq; cunas,
Ruchterum neq; quæ suum negabit,
Quapropter tibi gratias referre
Tellus Tyrigetum ferax studebit,
Quæ Musas faciles Apollinemq;
Nec non laurigeros amat Poëtas,
Inuitatq; suis subire tectis.
O felix nimium solum paternum
Schofferi memorabilis Poëtae,
Cuius tu modò nuptias, amico
Gratatus, celebras sonante plectro,
Successumq; precaris expetitur.
Ergo pro fidei decente cultu
Nomen Codicij Canent Camœnæ,
Æternamq; alij ferent honestis
Laudem Carminibus, nec ipse de te
Ruchterus cupidus, tacere discet,
Qui te sorte iubet beatiore
Istis Hendecasyllabis valere,





QK. 534,52

B. M. II 110

II n
9088

DE CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO

D. IOHANNE SCHOSSERO, POETA LAV-
reato, in Inclyta Academia Francophordiana ad Oderam
Professore, cum Honestissima & ingenua Matrona
Margaride Nuptias celebrante,
die 18 Nouemb:

LACTANTII
IOHAN: CODICII BLEGIA.

SVO SCHOSSERO,

Schoffere vates culte, Vir clarissime, +
Amice delectabilis:
Fratris loco quem ueneror, & fidus colam;
Dum me vocet Proserpina;
Tibi leues Elegos tuis de nuptijs
Fauore mitto sedulo.
Si post vacabit à grauissimo iugo,
Modò quo premor, te plenius
Tuamq; sponfam nostra tollent carmina,
Nunc viue felix & vale.
Et corda Codicij puta tibi dari
In hoc rudi Poëmate.

BVDISSINAE.
PER IOHANNEM
VVOLRAB ANNO
M. D. LX.



Optimo viro D. Johanni Codicio
Sylueneruensiū scribae, patri
Codicij